

Letter 469: 16 March 1532, [Bern], Berchtold Haller to Capito

The autograph original of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 158, no. 7.

Gratiam, pacem et vitae innocentiam a Deo Patre et Servatore nostro Iesu Christo. Quod multis hactenus epistolis piis sane iuxtaque doctis, nostras expostulas, quibus rerum nostrarum certior fieri tantopere desideras, maxime cum ecclesiam nescio quid monstri parturientem, Spiritu Domini per te loquente, restauraveris atque regeneris, ut te patrem merito agnoscat. Scripsi siquidem per Conradi Zuickii Constantiensis famulum Constanciam et ab hinc meas facilius reddi potuisse tibi cum sperarim, video me mea frustratum spe nisi interim acceperis, nam ante mensem hanc Martium eas miseram.

Ceterum redeo ad nos. Res nostrae utinam tam constanter quam pie se habeant, et ut reliquisti, ecclesiam, magistratum, cives, ministros. Ita in hunc usque diem se omnia habent pacatius sed quam cum primum ad nos venires. Etsi interim papistis male fidam, minusque factioni Gebennarum et ducis, qui perpetuo bella minatur atque ita grassatur ut verbo nisi Dominus operetur vix preverti possit, quamvis semper bene speremus. Nivium moles effecit ut acta ad nos ante mensem excusa, vehi non potuerint, interim latinitate donata a Cratandro imprimuntur et accipiet magistratus exemplaria centum pro Gallis.

Immortani victoria uti noscit et triumphare. S. Gallum abbati X millia aureorum solvit. Abbatem cum monachis et papistica impietates suo restituit conventiculo. Premgarti proscribuntur ut aiunt qui in aurem confiteri nolunt et impanato deo communicare. Quid scribam? Olygarchia nos perdet, religionem auferet et qui dominari nesciunt, tandem servire addiscent, nisi Dominus nos custodierit. Caeterum pro expensis solvunt Berna et Tiguri 5 millia coronatorum, Basilea ni fallor 1200, Milhusum 400, Schaffhusia, quae alioqui in verbo se optime habet et novo potiter consule viro cordatissimo, 1000, S. Gallum 600. Ecce sic discimus rerum vicissitudine, quid pariat evangelium politicum et, quod omnium peius est et pessimum, parum de civitatum capitibus sperandum quod ad quantulamcunque redeant concordiam.

In Turgoiae arcibus et monasteriis revixit missae impietas. Glaronae ferunt ministros novem quod exteri sint proscriptos, atque unum superesse. Ita non facile scripserim quanta mala quantamque calamitatem infelix hoc bellum attulerit universo populo helvetico. Apud nos Megander adhuc se bene habet, sed adempta est illi auctoritas apud quosdam tibi probe cognitos. Augebitur tamen in dies, dum res fuerint secundae et pacatae. Articulos quos senatui et diacosis proposueras nondum executus est senatus propter moram sinodaliū, exequetur tamen nobis hisce diebus ipsum instigantibus, simul et ratio conventuum nostrorum. Otherum ad te Ulmum vocasti, quod facile indulisit senatus. Modo ad nos redeat, et citra illius consensum non alio vocetur ad verbi ministerium. Nam homo est quo potissima Bernatum pars maxime eget. Quo si nos spoliaveris, pessime audies nec condonabitur.

Michaelem Hispanum ferunt apologiam priori libello dedisse, plenam monstrorum et errorum chiliadibus. Quibus ubi tu, qui triadis mysteria ex fontibus hausisti, non occurreres, non solum incommodabit ecclesiis, sed te quoque suspectum reddet, quasi vel consentias vel conniveas. Admonitum itaque volunt fratres. Obsecrant etiam ut succurras iis quibus tanta veritatis lux nondum accessit, ne graventur non solum imposturis sed et plebe quae, cum audierit vos tacentes, qui hactenus mundum libris replevistis et in re tam seria surdis auribus delitesceretis.

Franciscus optimus senecio omnia optimo consulit, tui nominis indefessus buccinator. Ministri ex agro aliquot tamen inconsulti plebe nondum docta pueris baptismum ad diem

Dominicam usque quasi ex precepto magistratus et synodi decreto negarunt, ut ea importunitate omnia fere perplexa reddidissent. Prevenimus tamen ut potuimus. Nulla alia apud nos sunt nova quam ut te monemus quatenus uxorem tibi commodam a domino impetres, nisi te velis mala diutinaque valetudine per melancholiam tua perdere sponte. Eam tamen tibi optamus quae liberis careat penitus et tibi pariat domini benedictione, sive viduam sive virginem ducas. Quare hoc fiat facile agnosces, quando parentum in liberis affectus perpenderis. Nam si morosula aliqua et liberos habente gravari deberes, ipse coniectare poteris quantum negotii et miseriae tibi facesseret. Summa, tue valetudinis amplius ad tuos rediens rationem habeas, nec malis prematura morte ecclesias deserere. Et tuae peregrinationis successum aliquando depinge. Vale et cui militas is salvum servet et reducat. 16 Martii anno 32.

Animum potius quam scribentis calamum perpende. Salutant te optimi quique et tibi bene esse cupiunt.

Tuus ex animo quem optime nosti, hospes B.H.